

www.e-rara.ch

D. Thaumaturga Einsidlensis

Betschart, Paul

[Einsiedeln], anno ... 1665

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24550>

Caput XI.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)



CAPUT XI.

AB CEPHALALGIA,
ET MANIA ALII, ALII
Epilepsia, & Hydrops li-
berantur.

*ATROCISIMOS, & ferè incurabiles
quoque morbos Maternâ Depa-
rentis curâ sanari sequens caput osten-
det: tantòque propius elucescent inde
Divina beneficia, quantò sanitatis
spes, & remedia longiùs aberant hu-
mana.*

Anno

I.

ANno Christi millesimo, quin-
gentesimo, octogesimo primo
plurimi peregrinorum uti aliàs
alij beneficia accepturi, alij ob accepta
relaturi grates, cùm ex omni ferè Ger-
mania tum ex Trevirensis Dioecesis ur-
be Confluentiâ ad Heremum conflu-
xere. Aderat inter eos Philippus ab
Æsch, qui fide digna relatione ex-
posuit, gravissimo se diu confectum
morbo, acerrimosque die ac noctu mem-
brorum, atque totius corporis dolores
perpeffum, ut tandem tormentorum
alienatis sensibus sui minimè compo-
tem è potestate mentis exijffe. At ubi
sibi aliquando redditus paululum, Dei-
paræ nostræ opem, atque auxilium im-
plorasse, omni extemplò ægritudine
expeditum, ideoque ut voto suo, quod
Virgini nuncuparat, se expediret, ad
Heremum approperasse. Et ut de ac-
cepta salute certius constaret omnibus,
conciyes suos octo, quos viz, & pe-
regrinationis habuerat comites, eos ip-
sos etiam adstipulatores habuit, & mi-
raculi testes.

II.

Eodem anno Annam Bornerin ex Lauteren oriundam, diuturni, & inveterati dolores capitis infestabant adeo, ut vertigo; quæ caput cepit, mentem etiam everteret, turbatoq; cerebri organo, ratione quoq; teneret captam. Alienà itaq; & emota mente ubi diu fuit, ad se (quod fieri per intervalla solebat) aliquando rediens peregrinationis ad Heremum suscipiendæ votum fecit: atque extemplo voti, rationisque compos facta, sublatisque corporis doloribus veluti delirantis animi causis sibi deinceps præsens, præsentem Dei Matris opem grata agnovit, eidemque in Heremo præsentem memorique mente, quod mentem sibi reddidisset gratias retulit.

III.

Altero post anno Vdalricum Schmidlin è Russwilla Lucernensis agri pagus morbus etiam cephalæ atrocior mente captum ad insaniam, & furorem adegerat. Qui cum Lymphato similis sine voce ac sensu amens volutaretur, mater vicem eius non sine amarissimo doloris sensu sollicita, Divæ nostræ pro filij salute votum vovit, peregrinationem ad Heremum spondens. Et mox
quod

quod rogabat. impetravit, filiusque mentis, mater voti compos est facta.

IV.

ET Adamo Baumgartner item Lucernati, dum is 1589. commoratus peregrè fuit, Deiparæ nostræ auxilium non defuit. Cùm Parisiis esset Regi Galliarum Duce Rudolpho Pfiffer Lucernensi Patrio claro inprimis domi, militiæque viro militans, parum pietatis, pro more ferè castra sequentium, & militum consuetudine in Divino cultu posuit. Igitur ubi nullâ devinctus religione, aut curâ, stas etiam & solennibus diebus, seu abesset, sive interesset rei sacræ, juxta habet, ipso Virginis festo Purificationis die, quo per socordiam Divino adesse Sacrificio neglexit, sævis adeo, & atrocibus capitis correptus doloribus est, ut cùm in singulas horas ingravescerent, actum de vita, ipseque morti proximus videretur. Quam haud dubiè obijisset, nî vitam à vitæ Reparatrice Virgine impetrasset. Ei enim supplicem se, ac venerabundum ad Heremum venturum, si mortem evaderet, vovit. Quod ut faceret Heremi situs, Virgineique Sacelli facies menti continuò ob-

versa-

versata eum permovère, cùm ibi præ-
sens esse, magnoque de vita superiori
doloris sensu factâ confessione, & sa-
cro sumpto Christi Corpore animi e-
luisse noxas, & reconciliasse sibi Deum
videretur. Id postquam reipsa se præ-
staturum promisit, confestim recipere
vires, & valetudinem, quam, ut non
diffitebatur, per impietatem amiserat,
per pium animi votum recuperavit.

V.

Fuit quidam Ioannes Göz Mengensis
Danubij accola. Is ubi aliquamdiu
Oetingæ in Archiepiscopatu Salisbur-
genfi commoratus, inde ingrediens
Franckenmarck haud ignobilem sexto
ferè milliari à Salisburgo vicum petit,
in itinere, seu ex porrecto toxico, at-
que veneficio, sive alia causa fuit, in
subitam phrenesin, amentiam incidit.
Impos planè & sui nescius, cùm men-
tem penitus exuisset, unà cum pudore
vestem quoque exuens nudus discurre-
bat. Cùmque in obvios quosque sine
discrimine sæviret, sæminam quandam
objurgare se, & coercere verbis conan-
tem, ille contra verberibus, ac fuste ita
excepit, ut postero die plagarum atroci-
citas.

citate factò fungeretur. Ductus in Franckenmarckt, ibique veluti canis rabidus catenis illigatus; deinde in altero quoque vicino pago vinculis detentus fuit. Matri postremò, & genero eò vocatis emotæ prorsus mentis hominem loci Magistratus tradidit. Cæterùm mater, suæ curæ commissum amentem filium, Dei Matri in Heremo porrò commendavit, eiusque curæ voto factò commisit. Nec multò post ad mentem redire filius, rationis compos fieri: plenè deinde sibi redditum, & sanæ mentis, ubi mater recepit, lætâ mente vota quoque persolvit.

VI.

Abbatis-cellâ oriûda erat Barbara Herzogin, sed translata inde familiâ Suitiæ habitabat. Vterum cum ferret aquâ intercute graviter laborare cœpit: & quamvis sæctis ferro artubus vis humoris ingens defluxisset, ingravescente tamen ex tanta remedij acerbitate periculo simul & cruciatu ab extremis haud procul abfore credebatur, quando assumptum remedium interitum accelerabat. Et ipsa de prolis magis, quam utero gestabat, quàm de sua salute animo angebatur. Neque jam
 quis-

quisquam erat, quin infantem cum matre potius moriturum, quàm ex matre nasciturum ominaretur. Verùm implo-
ratum Virginis nostræ auxilium saluti utriusque fuit. Ei enim ubi mater pro sua simul, & prolis salute votum faciens enixè supplicavit, paulò post vivum, & incolumem viva ipsa non modò, sed incolumis etiam, atque diu postea superstes feliciter partum est enixa unà cum prole alioquin interitura, nisi cum Prole piâ Virgo Mater succurrisset.

VII.

BReisacum inter Argentinam & Basileam ad Rheni ripam situ, & opere munitissimum oppidum est. Erat ibi Andreas Frisch urbis quondam Consul qui ex hydrope laborens extremo vitæ discrimine periclitabatur. Turgescente ex aqua intercute foedum in modum ventre, totum postremò corpus in vastam molem intumuerat. Quintum mensem, & eò amplius per incredibiles dolores exegerat, desperantibus Medicorum quibusvis peritissimis, cum varij varia incassum medicamenta admo-
vissent. Vxor interea, & filia, quas moribundi conjugis, ac parentis desi-
deri-

rium ingens accenderat, ab inani spe reliqua, & nil proficientibus lachrymis ad preces, vota que versæ salutem hæc patris, illa mariti uno ambæ animo Virgini Heremitanæ enixissimè commendavere, altera alterius, ut non nescia doloris, ita ignara voti. Cuius tamen mox utraque compos facta, subfidente hydrope, & redeunte statim ægro valetudine sanum, & illa maritum & hæc parentem aspexere, & utræque liberatæ orbitatis metu, ne altera vidua, puella altera esset, Deiparæ Matris beneficium reputavere.

VIII.

NON multò post eiusdem familiæ quidam Ioannes Frisch Ersteinæ non procul Argentorato, civis diro hydrope tumidus, cum deplorata vita desertus à medicis esset, Deipara nostra opem eius implorantem haudquaquam deseruit, sed cælesti manu desperato humanitus medicinam ferens, omnem ab eo morbum discussit.

IX.

Tvgij iterum, & in una domo duplex beneficium Deiparæ Ioanni Caspa-

Casparo Sidler duo filij erant, horum alteri Rudolpho nomen, Bartholomæo alteri. Ex fortuito, nescio quo casu, ingenti pavore correptus alter, integrum deinde mensem toto pallere corpore, & artubus omnibus contremiscere, & palpitare. Alterum teter, & atrox, quem comitiales omnes credidère, morbus invaserat, qui non modò adolescenti acerbam, & parentibus miserabilem vitam effecit, sed mortem ipsam allaturus quoque videbatur. Sed ubi Virgini nostræ à parentibus votum nuncupantibus pro utroque supplicatum est, secuta brevi utriusque valetudo integra, utrosq; etiam parentes exhilaravit, tantumque beneficium obnoxios Virgini reddidit.

X.

IN eadem urbe anno deinde trigésimo præsentis sæculi, Maria Boshartin, & eiusdem simul filius, in sua quisque calamitate Divæ nostræ subsidium impetravere. Mater emotâ mente, & alienatis, turbatisque ex gravi infirmitate sensibus filius ruptis ab ipsa nativitate visceribus erat. Post votum Virgini factum, & ingeminatum auxilium

lium confestim, & à puero sublata
hernia, & matri mens reddita.

XI.

Epilepsia morbo annos plurimos laborabat Iacobus Matter ex Witeschuilero Solodorensis agri pago. Quo mali genere saepenumero quot annis correptus, spumans, & colliso toto corpore humi volutabatur, cum ingenti spectantium horrore simul, & commiseratione. Spem recuperandae humanae ope valetudinis morbus inveteratus, & à primis annis ad ingravescentem usque aetatem perinax sustulerat, nec nisi cum vita teterrimum malum se crediderat relicturum. Sed quae res humanam spem minuit, miraculum auxit. Nam ubi admiranda, quae interventu Deiparae in Heremo evenirent propè quotidie, admirans intellexit, & ipse fiducia in Virginem factus suscipiendae ad Heremum peregrinationis votum facit. Quod ubi primum in Heremo praesens, & in Sacello ante aram Virginis supplex persolvit, ita repente convaleuit, ut ab eo statim die, nihil deinceps incommodi ex antiquo morbo persentiret,

ret, sed de novo in se Deiparentis beneficio lataretur.

XII.

Biennio post Elisabetha Brunnerin Badensis Helvetia, in subitam phrenesin lapsa furere adeo, & mentis plane impos ita rabie vasa defevire, us coerceri vinculis, & funibus ligari furibundam necesse esset. Cæterum nuncupatum pro ea votum, & festinum Divæ nostræ latum auxilium mente captam restituit, & compede vinctam solvit.

XIII.

Nicolaus Schmid è Rixen pago Diœcesis Basileensis, dum miles stipendia in Flandria meret ex corruptæ aquæ haustu adversa valetudine corripitur. Ad ingravescentem deinde morbi vim phrænitis accessit. Vnde animi impos delirare crebrò, & in rabiem verti, atque furere. Cùm ad mentem semel rediens, quod fieri quandoque solebat, se instinctu Divino, Deiparæ nostræ conceptis verbis votum vovens commendasset, & ex morbo protinus convaluit, & mentis compos perman-
sit.

XIV.

Altero pòst anno in Sueviæ pago quodam Apenuiler Ioanni Aman Catharina Hallerin uxor erat. Hæc quoque è potestate mentis penitus exierat. Sæpe domo profuga per saltus, & avia nemora oberrans ferarum more vagabatur, biduum quandoque, & eò amplius sine alimento in silvis trahens. Stimulante nonnunquam furore, & vesaniâ subitò è nemore se proripiens in flumen præcipitem se datura, & submersura aquis furore præceps ferebatur. Tantæ miseræ, & amentis uxoris, ut apud Divam nostram remedium quæreret maritus, ei mens divinitus indita, votoque Deiparæ factò mens conjugii etiam confestim reddita. Ita amantis mariti votum, amentis uxoris remedium fuit.

XV.

Per idem tempus Enfishemij in Alsatia Magdalena Kochin toto anno paralyssi languebat. In ambas præcipuè manus ita morbi vis incubuit, uti cum immobiles illæ ac velut emortuæ usum omnem negarent, alienis manibus indui, & exui vestibus, & alimenta ori ingeri necesse esset. Adhibita ex Medica-

dicorum consilio plura remedia frustra fuere. Quin & novus morbus pristino gravior invasit, additaque afflictæ afflictio est. Nam epilepsiâ correpta, etiam sex totos menses affligebatur. Sed postquam ad Heremum invisuram se spondit, uno quo piâ mente se obstrinxerat voto, utroque confestim corporis morbo soluta fuit.

XVI.

Eodem anno quadragesimo nono præsentis sæculi quidam Ioannes Müller è Wolbach pago Röttelensis ditionis homo rusticanus, & Lutheranus sectâ, tum temporis in Blodeizheim habitabat. Mense Ianuario lignatum in silvam securim ferens exierat. Ibi tum solùm operi intentum egressus è proximo saltu lupus stimulante fame, ac rabie morsu hominem truculenta bestia invadit, & feroci rictu in paventem, & subito, inopinatoque immanis belluæ aspectu exhorrentem impetum facit. Tum verò ille supremi periculi metu ausum, & vires addente, ut erat, securi obarmatus in bestiam pugnat, tandemque post longum, & anceps certamen superior sternit belluam dejectâq; conficit, sed tamen in xfo mordicus

den-

dente inter luctandum laniatus, & in utroque brachio ac vultu multis plagis à bestia laceratus. Obductis licet altero post mense plagis, ita tamen feræ morsus adfecit hominem, ut mentem eripiens in ferinam rabiem, & ululantis veluti lupi naturam verterit, ligandum etiam feræ belluæ instar & catenis coercendum. Pia commiseratione, Petrus zur Buechqui in pago Othmarsheim curio erat, tactus hominis, quod extra Christi ovile, & jam ante luporum rabie veræ religionis; modò etiam mentis exors factus esset: veluti pastor ovem invisit, & ne post silvestris Lupi morsum, infernalium quoque dentibus bestiarum pateat, sedulò laborat, sollicitè monens hominem, ubi paulisper mentem receperat, uti ejuratâ Lutheranâ hæresi Dei præpotentis auxilium eiusdem Virginis Matris interven- tu, quàm Catholici, & pio zelo venerarentur simul & quovis in periculo in se piam experirentur, implorare non dubitet. Cùm salubri Sacerdotis consilio confestim morem gerens, Lutherique, quæ sectatus eò usque erat, detestans dogmata confessione totius vitæ noxas expiasset, simulque votum fecisset obeun-

obeundæ suo nomine ad Heremum peregrinationis, nunquam deinde amplius rationis usu caruit, sed sanæ mentis juxtâ & religionis compos ad extremum usque vitæ spiritum permansit. Ita ille unius pastoris curâ, & sollicitudine, & Deiparæ potissimum benignitate geminis luporum laceratus morsibus utriusque discrimen effugit, & menti, & Christi ovili restitutus.

XVII.

SVb idem tempus in Kleggoiæ pago Erzingen Anna Zölly plures jam annose epilepsiæ morbo afflictabatur. Et sæpe atrox malum invasit miseram, ut cadens spumansque & frendens cum horrore, & cōmiseratione adstantium, humi membra collideret. Auxilij inopi occurrit, postremò communis afflictorum omnium auxiliatrix Virgo Heremitana. Protinusque in Heremo ante aram Virginis in Sacello se supplicem sistit, salutem efflictim orat, statimque exorat; & ab pristino deinceps morbo immunis fuit, nec unquam recidivum passa est amplius, Deiparentis auxilio suffulta.

O

Neque

XVIII.

NEque superiora proxima tempora miraculis huius etiam generis vacua fuere. Anno labentis huius sæculi quinquagesimo Benedictus Landherr Waldshuti, quod ad Rhenum oppidum est, civis gravissimis divexatus capitis doloribus in amentiam, & maniam incidit, quæ plures eum dies nescium, & impotentem sui tenuit. Receptum deinde paulisper animum ad Virginis nostræ opem implorandam convertit: quo sano, & salubri consilio mentis simul sanitatem, integramque non multò post valetudinem corporis est consecutus, eò evidentiore beneficio, & præter omnium spem servans vitam, quod non multò antè frater eius germanus ex simili morbo supremum diem obiisset.

XIX.

SEquenti post anno quinquagesimo primo quidam Michael Dumeisen Bierensis Danubij accola in similem lapsus amentiam est; nisi quòd tanto furore debachari, & intemperijs agi soleret, ut ab ipso obsessus Caco-

dæmo-

damone videretur. Dolens vicem mariti uxor, vota, precesque apud Deam nostram interposuit ferventissimè deprecata Virginem, ut cælesti manû à Medicis desperato medicaretur. Et paulò post solitâ benignitate marito mentem, uxorique valentem, & sui compotem maritum restituit.

